Stabat Mater

Т.: Якопоне да Тоди (?)
М.: григ.

105

3. O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!

4. Quae maerebat et dolebat
Pia Mater, cum videbat
Nati poenas incliti.

5. Quis est homo qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?

6. Quis non posset contristari,
Piam Matrem contemplari
Dolentem cum Filio?

7. Pro peccatis suae gentis
Vidit Iesum in tormentis
Et flagellis subditum.

8. Vidit suum dulcem Natum
Morientem, desolatum,
Cum emisit spiritum.

9. Eia, Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.

10. Fac ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.

11. Sancta Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

12. Tui Nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati
Poenas mecum divide.